

DILUCIDATIONIS
SELECTARUM
SACRÆ SCRIPTURÆ
QUÆSTIONUM
TOMUS SECUNDUS
AUCTORE
F. MARTINO WOUTERS

ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI
IN ALMA UNIV. LOVAN. SACRÆ THEOLOGIÆ LICENTIATO

EDITIO SECUNDA EMENDATISSIMA.



PATAVII, M. DCC. XCII.
EX TYPOGRAPHIA SEMINARII
APUD THOMAM BETTINELLE
SUPERIORUM PERMISSU.



D I L U C I D A T I O
I N P R I O R A C A P I T A
L I B R I P R I M I
P A R A L I P O M E N O N.
P R Æ F A T I O.

Libri Paralipomenon (qui uno apud Hebræos volumine recensentur) non male hinc inde *libri dierum* appellantur , cum in iis præcipuæ contineantur historiæ , quæ ab initio mundi usque ad captivitatem Babyloniam acciderunt . Paralipomenon tamen idem est , quod *liber relitorum* , scilicet suppletivus : in his enim libris suppleta reperimus , quæ in prioribus libris historialibus (præcipue Regum) vel desunt , vel non satis aperte , & distincte scribuntur .

Porro utrumque hunc librum Proto-Canoicum esse omnes admittunt Catholici . Utilitas ejus est , quod duplcem in aliis libris contentam tollat obscuritatem ; quarum una proveniebat ex eo , quod positis alibi personarum nominibus , familia , tribus , vel habitationis locus omitterentur . Cum enim varii eodem fuerint nomine appellati , orta est non raro historiarum confusio , & quod a multo seniore gestum fuit , juniori attributum &c. Obscuritas vero hæc lib. 1. a cap. 1. usque ad nonum inclusive tollitur , ubi tribus omnes , loca habitationum , generationes , earumque per David usque ad captivitatem Babyloniam successores clarius describuntur . Altera obscuritas originem duxit ex eo , quod alibi vel suppressæ fuerint historiæ , vel saltæ truncatae . Huic falce in admovet exactior historiarum (præsertim tamen Regum Judæa) enarratio , qua a cap. 10. lib. 1. usque ad finem lib. 2. protenditur . Et ideo loquens de hoc libro S. Hieronymus in Prologo ad Paulinum ait : *Paralipomenon liber... tantus ac talis est, ut absque illo, si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, scipsum irrideat: per singula quippe nomina, juncturesque verborum & pretermissæ in Regum libris tanguntur historiæ, & innumerabiles explicantur Euangelij questiones.*

Q U A E S T I O
P R Æ L I M I N A R I S.

Q U I S S I T A U C T O R L I B R O R U M P A R A L I P O M E N O N ?

Respondeo : Librorum horum Auctorem nonnulli dicunt esse incertum : communiter tamen Interpretes tenent eum fuisse Esdram , Scribam & Sacerdotem , qui post redditum ex captivitate Babylonica , ex particularibus Regum Judæa Diariis , per Prophetas & Sacerdotes , Regibus coævos , confici solitis , spiritu Dei actus singula compilavit .

Prob. Quia finis librorum Paralipomenon , & libri 1. Esdræ initium eidem fere verbis contexuntur . Sie finitur lib. 2. Paralip. Anno autem primo Cyri Regis Persarum , ad explendum sermonem Domini , quem locutus fuerat per os Jeremias , suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum : qui jussit prædicari in universo Regno suo , etiam per Scripturam , dicens : *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum : Omnia regna terra dedit mihi Dominus Deus celi , & ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem , quæ est in Judea . Quis est in vobis de universo populo ejus ? Sit Deus illius cum ipso . Ascendat in Jerusalem &c.*

eius ? Sit Dominus Deus suus cum eo , & ascendet .

Sic vero incipit lib. 1. Esdræ : In anno primo Cyri Regis Persarum ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremias , suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum : & traduxit vocem in omni regno suo etiam per Scripturam dicens : *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum : Omnia regna terra dedit mihi Dominus Deus celi , & ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem , quæ est in Judea . Quis est in vobis de universo populo ejus ? Sit Deus illius cum ipso . Ascendat in Jerusalem &c.*

Cum itaque in fine librorum Paralipomenon , & in initio lib. 1. Esdræ habeantur eadem , tam quoad verba , quam quoad sensum ; hinc satis probabiliter , seu plausibiliter videtur erui , unum eundemque esse , qui libros Paralipomenon , & librum primum Esdræ scripsit : atqui certum est apud omnes , quod Esdras librum primum Esdræ